

RELATIO

diocesis Seccoviensis durante quinquennio 1928 - 1932
secundum formulam a Sacra Congregatione Consistoriali die 4. Novembris 1918 praescriptam.

Caput I.

Generalia de statu materiali personarum et locorum.

1. Indicet Ordinarius nomen et cognomen suum, aetatem, originis locum, et institutum religiosum, hoc est religionem, si ad aliquam pertineat; quando fuerit consecratus, vel, si Abbas sit, benedictus; quando dioecesis regimen susceperit. Si Episcopum Auxiliarem habeat, an datus sit personae vel dioecesi.

Ordinarius est Ferdinandus Pawlikowski, Doctor Sacrae Theologiae, natus die 28. Aprilis 1877 Viennae; presbyter factus 5. Iulii 1903; Ordinarius castrensis exercitus austriaci ab anno 1920; Episcopus Dadimensis et Auxiliarius Principis Episcopi Dr. Leopoldi Schuster die 25. Februarii 1927 nominatus et mortuo Leopoldo Administrator dioecesis Seccoviensis die 24. Martii 1927, dein Episcopus consecratus Viennae a Cardinale Friderico Piffl, Princeps-Episcopus Seccoviensis a Sancta Sede die 26. Aprilis 1927 nominatus in sedem suam solemniter introductus die 26. Maii 1927.

Residet in urbe Graz in Styria et Episcopum auxiliarem non habet.

2. Breviter exponat quaenam sit origo dioecesis, quinam eius titulus seu gradus hierarchicus, quae privilegia potiora; si metropolitana sit, an et quas habeat suffraganeas sedes; et quem Ordinarium appellationis iuxta Codicem, can. 1594 § 2, teneat; si vero suffraganea sit, quem Metropolitanam habeat; et num apud illum, vel apud alium Antistitem pro conferentiis episcopalibus conveniat; si denique nulli Metropolitanae suffragetur, quem Metropolitanam pro Concilio provinciali, pro conferentiis et pro iudicio appellationis teneat iuxta cann. 285, 292 et 1594 § 3.

Dioecesis Seccoviensis (Seckau) ab Archiepiscopo Salisburgensi Eberhardo II. consentiente Summo Pontifice Honorio III. (22. Iunii 1218) ex suo territorio et suis bonis die 17. Februarii 1219 fundata et erecta est, qua de causa Archiepiscopo Salisburgensi a Summo Pontifice Privilegium concessum est, ut unumquemque episcopum Seccoviensem et eligeret, nominaret et confirmaret, quod privilegium decreto Sacrae Congregationis Consistorialis 6. Maii 1922 immutatum est. Fridericus II. Imperator Romanus fundationem confirmavit et beneficio iuris auxit, ut quilibet episcopus Seccoviensis titulo et dignitate „Principis Imperii Romani” frueretur (26. Oct. 1218). Dioecesis nominatur Seccoviensis, quia in erectione dioecesis collegium Canonicorum Regularium in pago Seckau in Styria superiore situm, destinabatur, ut simul sit Capitulum Cathedrale et Ecclesia dicti monasterii simul Ecclesia Episcopi Cathedralis.

Episcopus Seccoviensis est suffraganeus Metropolitanae Salisburgensis et neque ipse neque dioecesis privilegia specialia possidet.

3. Dicat praeterea:

a) quinam locus residentiae Ordinarii, cum indicationibus ad epistolas inscribendas necessariis;

b) quaenam amplitudo dioecesis, ditio civilis, caeli temperies, lingua;

c) quaenam summa incolarum et praecipua oppida; quot inter incolas sint catholici; si autem varii adsint ritus, quot catholici in singulis, et si acatholici inveniantur, quot sint, et in quales sectas dividantur;

d) qui numerus sacerdotum saecularium, clericorum et alumnorum seminarii;

e) *utrum adsit Capitulum cathedrale, an potius coetus consultorum dioecesanorum; an adsint alia Capitula, vel sacerdotum coetus instar Capitulorum, seu Communiae, et quot;*

f) *in quot vicariatus foraneos, decanatus, archipresbyteratus aliasve circumscriptiones dioecesis divisa sit; quot sint paroeciae, cum numero fidelium earum quae maximae vel minimae sunt; an adsint paroeciae per linguas seu nationes distinctae, et an per familias et non territorio divisae, et quo iure; quot aliae ecclesiae vel oratoria publica adsint; sitne sacer aliquis locus celeberrimus, et qualis, cann. 216, 217;*

g) *utrum et quaenam religiones virorum habeantur, cum numero domorum et religiosorum sacerdotum;*

h) *utrum et quaenam religiones mulierum, cum numero domorum et religiosarum.*

Locus Residentiae Ordinarii est Graecium (Graz) in Styria (Steiermark) Austriae.

Dioecesis extenditur per 16.373,41 Kilom.quadr. et sita est in Styria, provincia reipublicae Austriae.

Coeli temperies varia est: asperior in Styria superiore propter montes, secundior in parte meridionali, ubi campi fertiles reperiuntur.

Lingua, qua populus utitur, est germanica; in finibus tantum meridionalibus, qui dioecesim

Lavantinam attingunt, pauci pagi utuntur etiam lingua slovenica.

Numerus incolarum est circiter 1.031.000.

Oppida praecipua: Graz, Bruck, Leoben, Knittelfeld, Fürstenfeld, Voitsberg, Leibnitz, Rottenmann, Judenburg.

Catholici in fine anni 1932 numerabantur 994.822, acatholici 36.893, inter quos maior pars adhaeret sectae protestanticae (A.C.). Israelitae sunt circiter 2.502, vetero-catholici 1.023, Graeci 368.

Numerus eorum, qui nulli confessioni adhaerent, circa 9.685.

Numerus sacerdotum saecularium est 658; clerici et alumni in seminario maiori sunt 97.

Adest solummodo Capitulum Cathedrale cum decem membris activis et sex honorariis.

Numerus Vicariatuum foraneorum non est mutatus.

Parochiae existunt 349. Quoad numerum maxima parochia est in urbe Graz ad Sanctum Andream cum 22.259 fidelibus, minima vero ruri ad Sanctum Rupertum in Kulm cum 42 parochianis.

Parochiae per linguas seu nationes distinctae vel per familias divisae non sunt.

Ecclesiae minores vel oratoria publica 230 numerantur.

Omnium locorum sacrorum Styriae, immo Austriae, celeberrima est Basilica Beatae Mariae Virginis in Cellis (Mariazell) in Styria superiore.

„Religiones“ et virorum et mulierum multae in dioecesi existunt.

A) Religiones virorum:

1. Canonici regulares Lateranenses in pago Vorau	1 domus, 25 sacerdotes
2. Abbatia Ordinis Sancti Benedicti in Admont	1 domus, 57 sacerdotes
3. Abbatia Ordinis Sancti Benedicti ad St. Lambertum	1 domus, 48 sacerdotes
4. Abbatia Ordinis Sancti Benedicti in Seckau	1 domus, 37 sacerdotes
5. Statio Abbatiae Ordinis Sancti Benedicti St. Ottiliae ex Bavaria in Tragöb	2 sacerdotes
6. Abbatia Cisterciensium in Rein	1 domus, 29 sacerdotes
7. Ordo Praedicatorum	2 domus, 16 sacerdotes
8. Ordo Fratrum Minorum Sancti Francisci	5 domus, 25 sacerdotes
9. Ordo Fratrum Conventualium Sancti Francisci	1 domus, 6 sacerdotes
10. Ordo Fratrum Minorum Capucinorum	7 domus, 30 sacerdotes
11. Ordo Carmelitarum discalceatorum	1 domus, 6 sacerdotes
12. Ordo Servorum Mariae	1 domus, 6 sacerdotes
13. Ordo Hospitalarius Sancti Ioannis de Deo	3 domus, 1 sacerdos.
14. Societas Jesu	1 domus, 4 sacerdotes
15. Congregatio Presbyterorum Missionis St. Vincentii a. P.	2 domus, 19 sacerdotes
16. Congregatio Sanctissimi Redemptoris	2 domus, 18 sacerdotes

17. Congregatio Marianistarum	4 domus, 5 sacerdotes
18. Congregatio pro operariis christianis a St. Iosepho Calasanctio	1 domus, 2 sacerdotes
19. Congregatio Missionariorum Filiorum Ss. Cordis Jesu	2 domus, 7 sacerdotes
20. Societas Divini Salvatoris	1 domus, 2 sacerdotes
21. Societas Verbi Divini	1 domus, 1 sacerdos
22. Ordo equestris Ioannitarum	2 domus, 2 sacerdotes
23. Ordo Teutonicus	1 domus, 1 sacerdos

B) Religiones mulierum:

1. Abbatia monialium Ordinis Sancti Benedicti	1 domus, 103 religiosas
2. Ordo Carmelitarum Discalceatarum	1 domus, 17 religiosas
3. Ordo Ursularum	1 domus, 57 religiosas
4. Ordo Elisabethinarum	1 domus, 40 religiosas
5. Sorores Ordinis Praedicatorum Congregationis Sanctissimae Reginae Rosarii	1 domus, 80 religiosas
6. Congregatio Filiarum Beatae Mariae Virginis a Caritate Boni Pastoris	1 domus, 42 religiosas
7. Societas Sororum a Sacratissimo Corde Iesu	1 domus, 58 religiosas
8. Congregatio Sororum Scholarum pauperum de Notre Dame	1 domus, 8 religiosas
9. Congregatio Sororum Scholarum tertii Ordinis Sancti Francisci cum domo materna in Eggenberg prope Graz	18 domus, 315 religiosas
10. Congregatio Sororum Scholarum tertii Ordinis Sancti Francisci cum domo materna in Maribor (Iugoslavia)	1 domus, 5 religiosas
11. Congregatio Sororum tertii Ordinis Sancti Francisci a Sancta Cruce	41 domus, 560 religiosas
12. Congregatio Puellarum Caritatis Sancti Vincentii a Paulo	43 domus, 877 religiosas
13. Congregatio Famularum Sacratissimi Cordis Iesu	1 domus, 11 religiosas
14. Societas Filiarum Divinae Caritatis	2 domus, 17 religiosas
15. Sorores tertii Ordinis Servarum Beatae Mariae Virginis	1 domus, 3 religiosas
16. Congregatio Auxiliatricium animarum in Purgatorio	1 domus, 14 religiosas
17. Congregatio Missionariorum Mariae a Tertio Ordine Sancti Francisci	1 domus, 12 religiosas
18. Societas Voraviensis in honorem Beatae Mariae Virginis sine labe originali conceptae	5 domus, 54 religiosas
19. Congregatio Sororum Sanctae Catharinae Siensis pro cura infirmorum a Tertio Ordine Sancti Dominici	1 domus, 6 religiosas
20. Congregatio Sororum Caritatis Ordinis Teutonici	1 domus, 4 religiosas

Caput II.

De administratione temporalium bonorum, de inventariis et archivis.

4. An et quomodo iuxta civiles loci leges, facultas possidendi, acquirendi et administrandi, quae ecclesiae propria est, sarta tectaue sit; an potius coarctata; et si ita sit, quaenam sit conditio cleri et ecclesiarum.

Leges civiles concedunt ecclesiae facultatem possidendi, acquirendi, alienandi et administrandi bona temporalia, sed potestas civilis sibi sumit ius invigilandi administrationem bonorum ecclesiasticorum, in alienatione et locatione bonorum, ut coram auctoritate civili validae sint, necessarius est antecedens consensus civilis potestatis.

Leges civiles, quamvis coarctent libertatem ecclesiae, tamen administrationi bonorum ecclesiasticorum detrimentum non afferunt.

5. *An institutum sit penes Curiam Consilium administrationis et quibusnam constet; et num Episcopus in administrativis actibus maioris momenti illud audierit iuxta praescripta can. 1520.* „Consilium” administrationis institutum est in consistorio episcopali et constat ex Canonicis Capituli Cathedralis et aliis sacerdotibus piis et doctis ab Episcopo nominatis.

6. *An administratores particulares, sive ecclesiastici sive saeculares, cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis, aut loci pii canonice erecti, aut confraternitatum, reddant quotannis Ordinario rationem suae administrationis. Can. 1525.*

7. *An servata sint praescripta can. 1523 circa modum administrationis, et confectionem librorum accepti et expensi; can. 1526 de non inchoandis litibus sine Ordinarii scripta licentia; can. 1527 de abstinendo ab actibus Ordinariam administrationem excedentibus; et can. 1544 seqq. circa congruam dotem, tabulas piarum foundationum, aliaque.*

8. *An qui bona fiduciaria ad pias causas acceperint, servent quae can. 1516 statuit, praesertim circa rationem Ordinario reddendam.*

9. *In venditione, oppignoratione, permutatione, locatione et emphyteusi bonorum servatae sint fideliter ab omnibus normae cann. 1530-1533, 1538-1542; et si non, quae remedia adhibita. Praecipua quae acta sunt his de rebus negotia referantur.*

10. *Circa decimarum et primitiarum solutionem serventur laudabiles consuetudines, praecavendo tamen a dura exactione. Can. 1502.*

11. *Circa oblationes in commodum paroeciae et missionis serventur praescripta can. 1182 de earum administratione et ratione Ordinario reddenda; et collectores abstineant a vexatoria et odiosa requisitione.*

12. *Circa missarum stipem quomodo serventur quae can. 831 praescribit de taxa synodali; quae can. 835 de non colligendis a sacerdotibus missis, quibus intra annum ipsi satisfacere nequeant; quae can. 841 de transmissione ad Ordinarium missarum exuberantium; quae cann. 843 et 844 de libro tam personali quam ecclesiarum proprio pro missis adnotandis.*

6. - 12. *Canones huc respicientes accurate observantur, praesertim omnes administratores bonorum ecclesiasticorum qualiumcumque similiter omnes actores, collectores et provisores rerum ad missas et alias causas sacras spectantium, quotannis et saepius Ordinario rationem reddunt et ab eo instructiones et monita idonea accipiunt.*

13. *An inventaria immobilium, mobilium et sacrae suppellectilis uniuscuiusque ecclesiae, parochiarum, capitulorum, confraternitatum aliorumque piorum locorum, quae canonice erecta sint, confecta in duplici exemplari, alio pro pio opere, alio pro Curia episcopali, habeantur iuxta cann. 1296, 1522. Cautumne sit, et quomodo, ne morte rectoris ecclesiae, aut superioris pii operis, mobilia et suppellectilia disperdantur aut subtrahantur. Cann. 1296, 1300-1302.*

Inventaria immobilium, mobilium et sacrae suppellectilis uniuscuiusque ecclesiae, parochiarum, Capituli Cathedralis, piorum locorum canonice rectorum in duplici exemplari habentur, ex quibus unum in curia episcopali alterum in stationibus asservatur. Secundum posse etiam cautum est, ne ullo modo, nec occasione obitus administratoris bonorum ecclesiasticorum aliquid disperdatur vel subtrahatur.

14. *An Episcopus archivum habeat ad tramitem cann. 375-378 erectum et custoditum et cum documentis et libris de quibus in cann. 470 § 3, 1010, 1047, 1107; a quo tempore documenta incipiant, et an pergamenae et incunabula habeantur; catalogine confecti sint; an aliud quoque*

secretum archivum, vel saltem armarium obseratum, in qua scripturae secretae custodiantur, servatis regulis cann. 379-380.

In Curia Episcopali est archivum ad tramitem canonum 375 - 378 erectum et custoditum, in quo asservantur libri et documenta, de quibus loquuntur canones 470 § 3, 1010, 1047 excepto libro pro matrimoniis sic dictis conscientiae (can. 1107), quae in dioecesi locum non habent. Catalogi confecti sunt. In archivo episcopali inveniuntur etiam pergamenae; vetustissima pergumena est ex anno 1223 (30. Aprilis) de condonatione decimarum Eberhardi Archi-Episcopi Salisburgensis ad Carolum Bisdorf. Incunabula non adsunt.

Adest etiam secretum archivum, de quo sermo est in can. 379 et omnia, quae ibi praescripta sunt, observantur.

Insuper observatur etiam praescriptio in can. 380 contenta.

15. An ecclesia cathedralis, collegiatae, paroeciales, confraternitates et pia loca canonice erecta sua quoque archiva detineant, cum documentis cuicumque piae causae propriis, cum inventariis mobilium et immobilium et cum catalogo omnium documentorum; et exemplar eiusdem catalogi exhibitumne fuit Curiae episcopali, et in archivo Curiae repositum iuxta can. 383.

Omnes ecclesiae et pia loca habent catalogos rerum vel etiam archiva, quorum unum exemplar asservatur in archivo episcopali.

Caput III.

De fide et cultu divino.

16. Utrum graves errores contra fidem serpent inter dioecesis fideles; vel aliqua praxis superstitiosa aut ab institutis catholicis aliena in dioecesi vigeat; an modernismi, theosophismi, spiritismi lues dioecesim infestet, et an aliqui e clero eisdem erroribus infecti sint. Quatenam huius mali fuerit, vel adhuc sit causa.

Adsitne consilium a vigilantia, quot personis constet, et quo fructu munera sua expleat.

An professio fidei cum iuramento antimodernistico exigatur, et ab omnibus ad quos spectat fideliter praestetur iuxta can. 1406 et decretum S. Officii 22 Martii 1918.

Religionem catholicam impugnant Protestantes, quamvis eorum agitatio mitigata sit. Vehementer infestant nostram sanctam religionem Socialistae et societates, quae fidem totaliter reiiciunt, germanice „Freidenker“, et sat multos sectatores acquirunt. Nuperrime autem societas „Freidenker“ a Gubernio dissoluta est et Propaganda pro apostasia a fide interdicta. Etiam societas „Flamme“, quae cremationem cadaverum propagat, ecclesiae nocumentum affert, praesertim cum anno 1932 Graecii crematorium aedificarunt. Adventistae, Methodistae aliaeque sectae minores suos errores diffundere student. Theosophismus, Spiritismus, Occultismus etiam serpunt inter fideles; Modernismus vero omnino extinctus est.

Consilium a vigilantia adest et constat ex personis e clero saeculari et regulari; negotia ipsi commissa fideliter adimplet.

Professio fidei cum iuramento antimodernistico ab omnibus, ad quos spectat, praestatur.

17. Utrum divinus cultus libere exerceatur; sin minus, unde obstacula proveniant: a civilibusne legibus, an ab hostilitate perversorum hominum, vel ab alia causa; quatenam ratio suppetat ad ea amovenda et num adhibeatur.

Divinus cultus libere exercetur. Perturbationes solum ab hostilitate perversorum hominum provenire possent, quae tunc ab auctoritate civili vindicantur.

18. An ecclesiae iura circa coemeteria sarta tectaue sint et canonicae de his leges servari possint et servantur. Cann. 1205 seqq.

Ecclesiae iura circa coemeteria generatim sarta tectaue sunt. Sunt vero pauca coemeteria communitatum civilium propria, ubi indiscriminatim catholici et acatholici sepeliuntur. Secundum

legem civilem etiam in coemeteriis ecclesiasticis omnia alicuius familiae membra, etiam acatholica, si familia possidet sepulcrum proprium, sepeliri possunt.

19. Utrum in cultu divino, in sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum veneratione; in sacramentorum administratione necnon in sacris functionibus, sive quoad ritus sive quoad linguam et cantum, leges canonicae ac liturgicae servantur. An in his, et quatenus, irrepserint singulares consuetudines; sitne cura ut prudenter submoveantur, an potius tolerantur, et quatenus de causa. Can. 731 seqq.; can. 1255 seqq. Adsintne in ecclesiis picturae, statuariae aliaque a sanctitate loci aliena, vel minus consona liturgicis legibus; et quid fiat ut amoveantur. Arceanturne semper a domo Dei profani conventus et nundinae etiam ad pias causas. Can. 1178.

In cultu divino, in Sanctorum, sacrarum imaginum reliquiarumque veneratione, in sacramentorum administratione necnon in sacris functionibus leges canonicae ac liturgicae observantur. Adsunt vero consuetudines generales in tota fere Salisburgensi provincia diffusae, quae praecipue ad venerationem Sanctissimae Eucharistiae pertinent. Ex quo enim Protestantes saeculi XVI.

Sacratissimum Sacramentum impugnabant, eo magis catholici venerationi et publico Eucharistiae cultui consuluerunt. Hinc frequenter missae coram Sanctissimo exposito celebrantur; benedictio in litanis et Vesperis non solum in fine, sed etiam in initio cum Sanctissimo datur. A dominica infra Octavam Corporis Christi usque ad finem mensis Augusti omnibus dominicis processio cum Sanctissimo sub divo instituitur, minore vero apparatu ac in festo Corporis Christi. Quae processio, cum in ea quattuor Evangeliorum initia legantur, a populo fidei „initia” vocantur. Hae consuetudines sine gravi populi scandalo tolli non possunt.

Picturae, statuariae aliaque a loci sanctitate aliena vel legibus liturgicis minus consona in ecclesiis non sunt. Item in ecclesiis profani conventus vel nundinae etiam ad causas pias nunquam habentur.

20. Utrum numerus ecclesiarum in singulis oppidis vel paroeciis fidelium necessitati sufficiat.

Excepta urbe Donawitz prope Leoben, ubi aedificatio ecclesiae necessaria est, numerus ecclesiarum fidelium necessitati sufficere videtur.

21. An generatim ecclesiae mundae sint, decenter ornatae et suppellectili sufficienti instructae.

Adsintne egentes, squalidae, fatiscientes, et an et quid agatur ut reficiantur.

Recenseantur ecclesiae, si adsint, structurae arte, picturis aut pretiosa suppellectili insignes: et dicatur num congrua de his omnibus cura adhibeatur.

Ecclesiae generatim omnes mundae sunt, decenter ornatae et suppellectili sufficienter instructae.

Omnes ecclesiae denuo ex liberalitate fidelium campanas, quas belli tempore omiserant, possident. Dioecesis magno numero ecclesiarum arte, picturis et pretiosa suppellectili insignium gaudet, exempli gratia in urbe Graz: ecclesia Cathedralis, ecclesia ad Pretiosissimum Sanguinem, ad Sacratissimum Cor Iesu, ad St. Ioseph; praeterea in urbibus vel pagis Leoben, Mariazell, Murau, St. Lambrecht, Pöllau, Stainz, Vorau, Weizberg, Neuberg. Congrua cura pro omnibus ecclesiis, in quantum tempora dura permittunt, adhibetur.

22. An ingressus in ecclesias, dum sacra aguntur, sit, prout debet, prorsus absolute semperque gratuitus. Can. 1181.

Ingressus in ecclesias ad sacros ritus, sicut can. 1181 praescribit, omnino gratuitus est.

23. An ecclesiae rite custodiantur ne furtis et profanationibus obnoxiae fiant, et eae in quibus SS.

Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot horas fidelibus pateant iuxta

can. 1266. Quomodo observentur: cann. 1267 et 1268 circa custodiam SSmi Sacramenti in uno

tantum loco et altari; et circa decorem et ornamentum praecellentissimum altaris eiusdem; can.

1269 circa tabernaculi statum; can. 1271 circa lumen coram SSmo.

Ecclesiae, ne furtis et profanationibus obnoxiae sint, pro viribus custodiuntur. Iuxta can. 1266 ecclesiae, in quibus SS. Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales per plures horas apertae sunt. Item praescriptiones canonum 1267, 1268, 1269 et 1271 adamussim observantur.

Caput IV.

De iis, quae ad Ordinarium pertinent.

24. *Indicet Ordinarius quibus redditibus ipse qua talis fruatur, sive sint ex bonis immobilibus, ex publico foenore vel aerario, ex incertis Curiae, ex dioecesis contributione, sive ex aliis causis: et an sibi sufficientes sint; qualem domum episcopalem inhabitet, et cum quibusnam convivat: an et quale cathedraticum exigat iuxta can. 1504; an et quales alias exactiones forte imposuerit iuxta cann. 1505, 1506; utrum aliquo aere alieno sive qua Ordinarius, sive qua persona privata gravetur; et qua ratione eius extinctioni consulat.*

Ordinarius qua talis redditibus mensae Episcopalis fruitur.

Bona mensae Episcopalis constant:

a) ex fundis (agris, vineis, pratis et silvis cum necessariis aedificiis) in summa 832 ha. 98 a.

b) ex pecuniis foenore elocatis in sic dictis obligationibus publicis, quae ortae sunt ex redemptis decimis in summa 1.369.471 cor. austr. cum annuo foenore 57.993 cor. austr. - hodie 5 Schilling 79 Groschen.

c) ex censu vel pecunia annua pro mensa Episcopali a quibusdam parochiis (23) patronatis allata; fuerunt in summa pro anno 135 cor. austr. - hodie nihil est.

Alii redditus non existunt. –

Ex quibus patet, nunc tantum bona ex fundis (a) ad vitae usum esse.

Quia autem in Austria possessiones reales vectigalibus et aliis tributis valde oneratae sunt et earum administratio sumptuosissima et insuper quia magna pars possessionis Episcopalis in Iugoslavia sita est, unde nullus fructus venit, Episcopo ad victum fere nihil relinquitur.

Episcopus habet proprium palatium in urbe Graz, dignitati Episcopali conveniens, nunc plene et pulcherrime renovatum. In hoc palatio habitat Ordinarius cum cancellario, duobus secretariis et famulatu necessario.

Cathedraticum non exigitur, nec aliae exactiones imponuntur.

Renovatio necessaria palatii aere alieno Episcopum qua personam valde gravavit.

25. *An episcopales aedes et bona mensae sive mobilia sive immobilia, accurato inventario confecto, curaverit iuxta praescripta cann. 1483, 1299 § 3 et 1301.*

Praescriptis canonum 1483, 1299 § 3 et 1301 quoad episcopales aedes et bona mensae tum mobilia cum immobilia, accurato inventario confecto, satisfactum est.

26. *An in ultima sedis vacatione praeter Vicarium Capitularem oeconomus quoque constitutus fuerit pro mensae bonis et res bene gestae fuerint iuxta cann 432, 433.*

In ultima sedis vacatione praeter Vicarium Capitularem oeconomus quoque constitutus fuit pro mensae bonis iuxta canones 432 et 433.

27. *Quomodo residentiae legi satisfaciat; qua frequentia pontificalia peragat, conciones habeat et pastoralibus litteris clerum et populum instruat; quomodo caveat ut ecclesiasticae leges notae fiant, et ut ab omnibus fideliter servantur. Can. 336.*

Episcopus obligationi residentiae stricte satisfacit et nisi ex officio muneris sui v. gr. qua Ordinarius castrensis vel ob visitationes, conferentias episcopales abesse debet, semper in sua residentia Graz versatur.

Pontificalia generatim omnibus diebus festis I. cl. in Ecclesia Cathedrali peragit; immo data occasione etiam in aliis ecclesiis pontificalia celebrare solet vel actibus cultus publici interesse, si populus vel clerus id desiderat.

Pastoralis muneris sui memor Episcopus populum verbo Dei pascere amat et huic obligationi verbis et litteris satisfacere studet. Praedicat in Ecclesia Cathedrali et in ecclesiis parochialibus dioecesis occasione visitationis canonicae; habet sermones in piis institutis, congregationibus et aliis

catholicorum conventibus.

Litteris pastoralibus clericum populumque instruit quotannis.

Ut leges ecclesiasticae populo notae fiant et ab omnibus servari possint, provisum est per promulgationem in folio dioecesano vel etiam in folio diurno catholico.

28. *Qua frequentia sacramentum confirmationis administret; et quomodo provideat, si ipse per se omnium necessitatibus consulere nequeat. Serventur in huius sacramenti collatione regulae de aetate confirmandorum et de patrinis.*

Sacramentum confirmationis tribus diebus Pentecostes festivis in urbe Graz, reliquo aestivali temporis spatio - generatim a mense Aprilis usque ad finem Augusti - in aliis urbibus et pagis, plerumque occasione visitationis canonicae in 40 - 50 parochiis ab Episcopo ipso administratur. Ut serventur in collatione huius sacramenti regulae de aetate confirmandorum et de patrinis, clericus quotannis folio dioecesano monetur.

29. *Quot in quinquennio sive per se sive per alium ad sacros ordines promoverit. Et an servaverit leges de non promovendis:*

a) *qui necessarii non sint vel utiles iuxta can. 969;*

b) *qui saltem integrum theologiae curriculum in seminario non peregerint. Can. 972 § 1.*

An numerus ordinandorum par fuerit necessitati dioecesis. An aliquem incardinaverit, qua de causa, et num iuxta legem can. 111 seqq.

In elapso quinquennio 1928 - 1932 ad sacros Ordines 87 promoti sunt. Canones 969 et 972 § 1 perfecte observati sunt. Maior numerus ordinandorum pro dioecesis necessitate desideratur. Actio anno 1928 instituta, quae vocatur „Sacerdos et populus“, iam bonos fructus produxit et augmentum numeri sacerdotum promittit.

Incardinationes tres factae sunt.

30. *An servatae sint regulae can. 877 seqq. in concedenda facultate vel licentia sacramentales confessiones audiendi; et can. 893 seqq. circa casus reservatos.*

In concedenda facultate confessiones sacramentales audiendi can. 877 ss. et can. 893 ss. semper observantur.

Ordinarius sibi reservavit solum duos casus:

a) Periurium coram iudice sive ecclesiastico sive laico solemniter et scienter emissum.

b) Homicidium voluntarium per actum exteriorem; sed huc non pertinet procuratio abortus sive animati sive inanimati.

31. *Circa sacram praedicationem, an consuluerit ut iuxta Const. S. P. Benedicti XV et normas a S. C. Consistoriali datas die 28 Iunii 1917 omnia rite procederent; ac maxime ut servarentur praescripta can. 1340 seqq. circa licentiam concedendam et can. 1347 circa modum et argumentum concionandi. An curaverit ut votum a can. 1345 expressum de brevi aliqua homilia in omnibus missis festivis habenda sensim ad effectum ducatur.*

Quae Benedictus XV. et Sacra Congregatio Consistorialis anno 1917 circa sacram praedicationem mandarunt, a sacerdotibus observantur. Nulli sacerdoti conceditur facultas praedicandi, nisi iuxta can. 1340 constiterit de eius bonis moribus et de sufficienti doctrina per examen probata. Quod can. 1347 praescribit, saepius in folio dioecesano et antea iam a synodo dioecesana sacerdotibus inculcatum est. Quod can. 1345 optat, iterum iterumque parochis et rectoribus ecclesiarum commendatum est.

32. *An et quo fructu avertere pro viribus studuerit fideles a nuptiis cum acatholicis, infidelibus, aut impiis iuxta cann. 1060, 1064, 1065, 1071.*

Tum in publica praedicatione tum in privatis colloquiis sacerdotes ex mandato episcopi fideles a nuptiis cum acatholicis, infidelibus aut impiis absterrere student, proh dolor! saepius sine fructu.

33. *An in quinquennio totam dioecesim ipse per se, aut per alium visitaverit iuxta cann. 343-346. An praeter loca et res, libros et archiva, personas quoque clericorum visitaverit, eos singillatim audiendo, ut cognoscat quae sit uniuscuiusque vitae ratio, quae confessionis frequentia etc. An inspexerit quoque quae habentur circa legatorum adimplementum et missarum manualium satisfactionem ac stipem, et an constiterit omnia ad legis normam procedere iuxta cann. 824-844. Et si abusus aliquos hac in re detexit, referat.*

Totam dioecesim per amplam episcopus decursu novem annorum sicuti antecessores visitare potest et visitabit, cum propter extensionem dioecesis et magnum numerum paroeciarum visitatio personalis in quolibet quinquennio sit impossibilis. Quaelibet vero parochia ex mandato episcopi omni anno per decanum visitatur, qui sicut episcopus praeter loca et res, libros et archiva, personas quoque clericorum visitant, singillatim eos interrogando et audiendo, ut cognoscat uniuscuiusque vitam et mores et de his omnibus episcopo refert.

In visitatione semper inspiciuntur etiam, quae habentur circa legatorum adimplementum et missarum tum manualium tum fundatarum satisfactionem et stipem, ut omnia iuxta canones 824 - 844 rite observentur. Abusus hac in re hucusque non obvenerunt.

34. *Utrum et quomodo dioecesanam synodum celebraverit, et quando novissima synodus congregata fuerit. Cann. 356-362.*

Ultima synodus dioecesana ab antecessore anno 1911 celebrata est, cui 371 sacerdotes interfuerunt. Si possibile erit, iam anno 1934 nova synodus celebrabitur; interim ab anno 1928 episcopus unoquoque anno bis 45 decanos dioecesis in sua residentia congregat ad tractandas quaestiones curam animarum spectantes.

35. *Si sit metropolitanus aut conferentiarum episcopalium praeses: an et quando concilium et quando conferentias convocaverit; quinam interfuerint; et quo fructu res cesserit. Cann. 283-292. Ceteri Episcopi: an concilio provinciali, et conferentiis ipsi per se, aut saltem per procuratorem, interfuerint. Can. 287.*

Concilium provinciale ultimum Salisburgi anno 1906 celebratum est, cui antecessor interfuit. Conferentiae episcopales semel aut bis quotannis habentur, quibus episcopus semper interest.

36. *Quomodo se habeat cum civili loci auctoritate; an episcopalis dignitas et iurisdictio sarta tecta ita semper servari potuerit, ut numquam, servilitate erga humanas potestates vel alio modo, detrimentum libertati et immunitati ecclesiae, aut dedecus statui ecclesiastico obvenerit.*

Commercium potestatis civilis cum episcopo est urbanum, immo benevolum; episcopalis dignitas et iurisdictio hucusque semper sarta tectaque servari potuit.

Caput V .

De Curia Dioecesana

37. *Utrum Curia dioecesana aedes proprias, sufficientes et convenientes habeat; et si non, an et quomodo huic defectui consuli queat. Exhibeatur prospectus officialium Curiae episcopalis, adiectis iudicibus synodalibus, examinadoribus, parochis consultoribus, censoribus librorum aliisque peculiaribus administris. Can. 363 seqq.*

Curia dioecesana proprias aedes non habet, sed in palatio episcopali invenitur.

Negotia dioecesis in Consistorio praeside episcopo tractantur.

Consistorii assessores sunt: 10 Canonici Capituli Cathedralis, inter quos etiam Regens Seminarii maioris. 2 professores facultatis theologiae. Regens seminarii minoris actualis et emeritus.

Cancellaria episcopalis constat ex Cancellario, qui est simul Canonicus Capituli Cathedralis, duobus Secretariis, qui simul sunt Capellani aulae episcopalis, Custode cassarum, qui simul est taxator, archivario, scriba et cursore. Omnes sunt sacerdotes excepto cursore.

Tribunal ecclesiasticum dioecesanum consistit ex Officiali, Vice-Officiali, 8 Iudicibus prosynodalibus, 7 defensoribus vinculi, 1 Promotore iustitiae, 1 Actuario, 1 Cursore (laico).

Consilium pro administratione seminariorum constituunt:

- a) quoad institutionem et disciplinam duo Canonici,
- b) quoad res temporales duo parochi.

Administrationi bonorum ecclesiasticorum invigilant praeses et revisor, qui sunt Canonici. Examinatores prosynodales nominati sunt undecim, ex quibus sex sunt Canonici, quattuor professores facultatis theologiae, insuper Rector seminarii minoris.

Parochi consultores sunt 6 parochi.

Consilium vigilantiae constat ex quattuor sacerdotibus, Collegium censorum librorum ex 12 sacerdotibus, qui omnes sunt sacrae theologiae doctores.

38. De qualitatibus et opere Vicarii generalis et aliorum praecipuorum ministrorum adumbratio aliqua fiat.

Vicarius generalis est Canonicus Ioannes Siener, Protonotarius Apostolicus ad instar participantium, eximia pietate et prudentia praecellens.

Cancellarius est Dr. theol. Ioseph Steiner, cubicularius secretus Suae Sanctitatis, tam virtute quam doctrina conspicuus.

39. Quinam sint Curiae proventus sive ex taxis, sive ex multis pecuniariis, sive ex aliis titulis: et quomodo erogentur.

Curiae Officiales - excepto Cursore - salarium a Gubernio civili accipiunt. Taxae vix sufficiunt ad solvendas expensas necessarias. Mulctae pecuniariae non sunt in usu. Ex aliis titulis Curiae proventus non obveniunt.

Caput VI.

De Seminario.

40. Si dioecesis seminario careat, quomodo consulatur pro comparandis sacerdotibus dioecesi necessariis. An studium sit seligendi bonae spei iuvenes, e dioecesi oriundos, ad clerum indigenam creandum; quo fructu et ubinam educantur. Can. 1353.

Dioecesis duobus Seminariis gaudet, fundatis et sustentatis a clero dioecesano et populo fideli.

41. Si seminarium adsit, referatur enucleate:

- a) *de numero et statu eorum qui externam disciplinam regunt, qui spiritualiter alumnos dirigunt, qui docent, qui discunt;*
- b) *de statu aedium et rusticationis domus;*
- c) *de redditibus et oneribus, hoc est de statu activo et passivo pii instituti;*
- d) *de iis quae videantur necessaria ad meliorem Seminarii statum.*

Seminaria sunt maius et minus.

Rector Seminarii maioris est ab anno 1929 Dr. theol. Carolus Krenn, Canonicus Capituli Cathedralis. Rector Seminarii minoris est Dr. phil. Conradus Brandner ab anno 1922, Canonicus honorarius Capituli. Ambo sunt vitae integritate et moribus sacerdotalibus conspicui.

Rectorem Seminarii maioris in suo munere adiuvant: Dr. theol. Franciscus Bracher, qua subdirector, et Andreas Reisinger, qua praefectus studiorum, sacerdotes exemplares.

Directores spirituales sunt: in Seminario maiore Dr. theol. et phil. Ioannes List in Seminario minore Dr. theol. Msgr. Aloisius Kahr, viri solida pietate, scientia prudentiaque praediti.

Numerus alumnorum Seminarii maioris est incipiente anno scholastico novo nunc mense Octobri 1933: 114. Omnes facultatem theologicam in Universitate Graecensi frequentant, in qua 13 sacerdotes saeculares dioecesani disciplinas sacrae theologiae docent.

Numerus alumnorum Seminarii minoris est 328. Omnes frequentant gymnasium episcopale cum Seminario coniunctum, in quo 21 professores sunt sacerdotes, 2 laici, fere omnes publicis examiniibus probati.

Aedes Seminarii maioris est in proprietate sic dicti „fundi studiorum” et circiter 100 alumnos capere potest. Novo hoc anno scholastico 1933/34 insufficiens facta est.

Status aedificii perantiqui non correspondet amplius indigentis, quapropter de exstructione novae domus deliberatur.

Aedes Seminarii minoris est in proprietate dioecesis et est tam ampla, ut circiter 300 alumnis cum professoribus et famulis commode sufficere possit.

Huic domui hortus amplissimus coniunctus est. Rusticationis domus Seminarii non possident.

Seminarium maius propriis redditibus caret. Usque ad destructionem Austriae „fundus studiorum” sustentationem pro alumnis sufficientem praestitit. Congrua vero nunc a Republica praestita non sufficit et pensione alumnorum eleemosynisque suppleri debet.

Seminarium minus redditus ex domibus, praediis, vineis et ex pensione alumnorum, praeterea ex eleemosynis cleri et populi accipit.

Propter paupertatem crescentem ambo Seminaria in magna difficultate versantur.

42. Distinctumne sit seminarium in maius et minus iuxta can. 1354 § 2.

Et si prudentia suaserit, aut dioecesis conditio exegerit, ut dumtaxat seminarium minus seu schola apostolica, uti vocant, constitueretur, dicatur ubinam maiores alumni educantur: num in seminario proprio provinciali, seu regionali, seu interdioecetano apostolica auctoritate constituto iuxta can. 1354 § 3. Et de eius statu adumbratio aliqua fiat.

Seminarium maius et minus distinctum et omnino separatum est.

43. An servatae sint regulae: can. 1356 circa tributum seminaristicum; can. 1357 circa visitationem alumnorum et regulas internas; cann. 1358, 1360, 1361 circa directionem disciplinarem, oeconomicam et spiritualem; can. 1359 circa deputatos; can. 1363 circa alumnos admittendos et excludendos; can. 1371 circa dimittendos aut expellendos; cann. 1364-1366 circa institutionem litterariam et scientificam, praesertim philosophiae et theologiae; can. 1367 circa pietatis exercitia; can. 1369 circa spiritum ecclesiasticum fovendum et urbanitatis leges tradendas.

Tributum seminaristicum hucusque non est impositum; sed singuli sacerdotes saeculares serio invitati sunt, ut certam summam offerrent ad levandas Seminariorum difficultates; permulti sacerdotes invitationi grati obedierunt.

Can. 1357 observatur. Episcopus praesertim diebus Seminariorum festivis in eorum oratoriis praedicat, missam celebrat, res et loca invisit.

In ambobus Seminariis praeter rectorem adest oeconomus (Subdirector), adsunt magistri pro instructione, director spiritualis et plures quam duo confessarii ordinarii.

Quoad can. 1359 vide supra Nr. 37.

Item canones 1363 et 1371 quoad admissionem et exclusionem, quoad dimissionem et expulsionem alumnorum plene observantur.

Quoad institutionem litterariam et scientificam notatur:

In Seminario minore humaniora studia, quibus iam introductio in philosophiam coniungitur, octo annos complectuntur. Solum ii alumni, qui haec studia cum „testimonio maturitatis“ absolverunt, in Seminarium maius recipiuntur.

Cursus philosophicus cum theologico ab anno 1932 sex annos complectitur.

Praelectiones et dissertationes professorum in philosophia et theologia iis tantum libris et auctoribus nituntur, qui ab ecclesiastica auctoritate approbati sunt.

Disciplinae theologicae, praesertim dogmatica et moralis, praeterea magna pars exegesis sacrae scripturae, item introductio hermeneutica lingua latina traduntur.

Quod methodum attinet, scholastica et historica, positiva et critica secundum indolem materiae adhibetur. In theologia morali cum expositione theoretica et systematica coniungitur etiam practica et casuistica.

Cum praelectionibus ordinariis coniuncta sunt etiam sic dicta „seminaria scientifica“, in quibus alumni a professoribus in profundiorum disciplinae intelligentiam, in usum methodi scientificae et ad propria studia enaranda inducuntur.

Quovis anno de disciplina absoluta alumni a professoribus examinantur, decano facultatis praesidente et commissario Ordinarii assistente.

Praeter disciplinas ordinarias nimirum: Philosophiam scholasticam, theologiam dogmaticam et moralem, Sacram scripturam Veteris et Novi Testamenti, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, theologiam pastorem, liturgiam, theologiam catechetica et sacram eloquentiam etiam disciplinae extraordinariae traduntur, nempe scientia et historia artis ecclesiasticae, archeologia, sociologia.

Praeter haec studia publica alumni practicas instructiones accipiunt in ipsa domo seminarii:

a) pro audiendis confessionibus.

b) in administratione muneris parochialis.

c) de practica liturgia sacra.

d) in canto Gregoriano.

e) in arte concionandi; quavis hebdomade alumni se exercent praesentibus rectore seminarii et pluribus Canonicis in sermonibus sacris.

Praescriptiones canonum 1367 et 1369 in ambobus Seminariis adamussim observantur, praesertim communio frequens promovetur.

44. An Ordinarius curaverit ut aliquis alumnus pietate et ingenio praestans peculiaria Urbis collegia, vel universitates sive facultates a S. Sede in Urbe vel alibi probatas adiret, ut ibidem in studiis perficeretur iuxta can. 1380.

Duo alumni studiorum causa versantur Romae in Collegio Germanico.

Caput VII.

De clero generatim.

45. An clerus generatim habeat quo honeste vivere possit. An pro senibus et infirmis domus aut saltem subsidia adsint quibus adiuvari possint.

Dicendum, clerum possidere generatim tantum, quantum ad bonestam vitam sufficiunt. Cum lege civili salarium pro sacerdotibus statutum sit, fundus publicus supplet, si proprii proventus ex foundationibus et stola salarium „Congrua“ dictum non attingunt.

Pro senibus et infirmis sacerdotibus adest propria domus quae est in possessione „Societatis sacerdotum dioecesis“ iam anno 1855 fundatae.

46. An habeatur domus propria pro spiritualibus cleri exercitiis; an etiam quo poenitentes recipiantur.

Domus propria pro spiritualibus cleri exercitiis non habetur. Exercitia spiritualia pro istis fiunt tempore vacantiae in domo Seminarii minoris.

Domus vero pro poenitentibus adest.

47. Quo fructu Ordinarius curaverit ut clerici omnes ea adimpleant quae recensent:

can. 125 circa sacramentalem confessionem et pietatis exercitia; can. 126 circa periodicum recessum ad spiritualia exercitia; can. 130 circa examina annualia novorum sacerdotum; cann. 131 et 448 circa conferentias cleri; can. 133 circa cohabitationem cum mulieribus; can. 134 circa communem clericorum vitam, praesertim vicariorum cooperatorum cum suo parochio, can. 476 § 5; can. 135 circa recitationem officii divini; can. 136 circa habitus ecclesiastici et tonsurae delationem; can. 811 circa vestis talaris delationem in missae celebratione; can. 137 circa fideiussiones cavendas; cann. 138-140, 142 circa abstinentiam ab omnibus quae statum ecclesiasticum dedecent, a theatris et spectaculis mundanis et a negotiorum saecularium gestione.

Canones 125, 126, 130, 131 et 448 accurate observantur.

Querelae propter transgressionem can. 133 rarissime evenerunt.

Ubique in dioecesi vicarii habitant in domo parochi et victum ab ipso accipiunt.

Clerici omnes officium divinum recitant. Observatio canonis 136 saepius inculcatur.

In celebratione sacrae missae sacerdotes iuxta can. 811 veste talari utuntur.

Fidei iussiones cum permissione episcopi (can. 137) locum non habuerunt.

Canones 138 – 140, 142 observantur.

Unus sacerdos, qui doctor universae medicinae est, exercet cum permissione Apostolica artem medicinae; duo sacerdotes cum Ordinarii licentia exercent munus deputati.

48. An et quot clericis licentiam concesserit, de qua in can. 139 § 3, operam suam praestandi in arcis seu mensis nummulariis parsimonialibus, cooperativis, ruralibus, aut similibus: an ratione communis boni, deficientibus laicis, et ob utilitatem religionis id concesserit; et num adhuc hae concessionis causae perseverent; an mensae nummulariae, in quibus clerici opus aliquod agunt, honestate personarum et principiorum tales sint, ut non dedecet sacerdotem in iis partem habere; an in iisdem administratio ita recte geratur, ut omne absit decoctionis periculum, in quo sacerdotes convoluti maneant; et quomodo caverit de securitate huius notitiae; an denique qui hisce arcis applicati sunt a religiosa sacerdotalis vitae praxi deflexerint, et molestiam aliquam attulerint; et si ita sit, Ordinarius casus proponat et remedia suggerat.

Decem sacerdotibus licentia operam praestandi in mensis nummulariis parsimonialibus ruri propter bonum commune, deficientibus peritis laicis, et utilitatem religionis data est. Ista mensae nummulariae tales sunt, ut non dedecet sacerdotem, in iis partem habere. In quantum sciri potest, decoctionis periculum nullibi adest. Sacerdotes his arcis applicati a vita sacerdotali non deflexerunt.

49. An clerus praestet eam quam can. 127 praescribit obedientiam et reverentiam erga Ordinarium suum, et erga Apostolicam Sedem; et si sint qui graviter deficiunt, eos Ordinarius denunciaret. Si adsit in dioecesi clerus diversi ritus et linguae, quaenam sit inter clericos caritas et quaenam Ordinario cura fuerit pro utrisque.

Clerus obedientiam et reverentiam Ordinario et Sedi Apostolicae debitam sincere praestat. Clerus diversi ritus et linguae in dioecesi non habetur.

50. An generatim clerus officia obsequenter suscipiat, quae Ordinarius iuxta can. 128 eis committit; an habeantur, qui quamvis viribus polleant, otiosi tamen vivere malunt; si habeantur qui Universitates laicas frequentent, an hi servaverint ac servent leges a S. C. Consistoriali ad rem statutas; et si huiusmodi adsint, eos Ordinarius indicet.

Clerus officia ab Ordinario iuxta can. 128 commissa generatim obsequenter suscipit. Sacerdotes otiosi, quamvis viribus polleant, in nostris regionibus vix inveniuntur, quia suis officiis valedicere non possunt nisi consentiente episcopo.

Quinque sacerdotes frequentant Universitatem laicam, ut diploma acquirant, quo muniti munere professorum in publico episcopali gymnasio fungi possunt. Leges a Sacra Congregatione Consistoriali ad rem statuta observantur.

51. An adsint sacerdotes qui in diariis et libellis periodicis scribant vel ea moderentur; et qua facultate et utilitate id peragant. Can. 1386 § 1.

Adsunt sacerdotes, qui cum consensu Ordinarii diaria moderantur et in libellis catholicis periodicis scribunt cum magna populi christiani utilitate.

52. An adsint de clero qui cum scandalo diaria et ephemerides vel libros legant quae dedecent; qui factionibus municipalibus vel politicis indebite se immisceant; qui ad statum saecularem redacti sint, aut per nefas ad illum sponte sua sint regressi. Cann. 211-214; et quid fiat ad horum malorum remedium.

In quantum constat, nullus sacerdos diaria, ephemerides vel libros, quae dedecent, legit nec factionibus politicis vel municipalibus indebite se immiscet.

Ad statum laicalem nullus clericus redactus est; unus infelix sacerdos proprio motu statum clericalem dereliquit.

53. *An et quo fructu aliquas ex poenis recensitis in can. 2298 Ordinarius irrogaverit, et casus graviores referat.*

Suspensio a divinis lata est contra unum sacerdotem saecularem ob denegatam oboedientiam, contra quinque sacerdotes, ex quibus unus non pertinet ad hanc dioecesim et unus sacerdos regularis est, propter delicta contra sextum decalogi praeceptum et contra duos sacerdotes saeculares propter alcoholismum. Praeter unum omnes emendati et a censura absoluti sunt.

Caput VIII. *De Capitulis.*

54. *Si desit Capitulum cathedrale, dicatur quot consultores dioecesani habeantur, et serventurne circa ipsos quae cann. 424-428 statuunt.*

Adest Capitulum Cathedrale. Origo et historia Capituli in relatione praecedenti exhibetur.

55. *Si adsit cathedrale Capitulum, dicatur quot dignitatibus et canonicis constet; adsintne officia canonici theologi et poenitentiarum et serventurne ab ipsis quae cann. 398-401 iubent; habeanturne alii beneficiati minores, et quot.*

Capitulum constat ex decem Canonicis, inter quos sunt septem simplices, tres dignitarii.

Prima dignitas est Praepositi, secunda Decani, tertia Custodis.

Adsunt officia canonici theologi et poenitentiarum, quorum prior laurea in sacra theologia est insignitus, qui munus suum iuxta canones exercent.

Habentur praeterea quattuor vicarii, qui recitationi officii intersunt.

Salarium integrum a Gubernio civili recipiunt.

56. *Exponatur quae sit dotatio Capituli seu beneficiatorum. In distributionum seu punctaturarum disciplina vigeantne et serventur regulae can. 395.*

Tres iuniores Canonici sustentationem partim percipiunt ex beneficio archiparochialis ecclesiae ad Pretiosissimum Sanguinem in urbe Graz – a tempore interritus pecuniae Austriacae post bellum solummodo 1 Schilling 11 Groschen, – partim et quidem fere integram ex fundo religionis. Ceteri septem Canonici veteris foundationis praebendam habent ex dicto fundo religionis. Omnes vero Canonici fructus etiam percipiunt ex fundis et vineis.

Distributiones quotidianae pro praesentia in choro per annum attingunt 10 Schilling pro unoquoque Canonico, quae ex massa communi a Capitulo Cathedrali administrata sumuntur.

Pro missa conventuali specialis dotatio non existit.

Expensae pro ecclesia cathedrali partim a fundo religionis partim oblationibus solvuntur.

Beneficium archiparochiale ad Pretiosissimum Sanguinem separatim administratur.

Officio punctatorum iuxta can. 395 § 4 duo Canonici incumbunt. Distributiones Canonicorum absentium – ut supra dictum est, valde exiguae – pio loco cedunt.

57. *Si adsint canonicatus aut beneficia patronata, curaveritne Ordinarius, et quo fructu, ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus, aut saltem loco iuris praesentandi, acceptarent, iuxta can. 1451.*

Canonicatus nulli patrono subsunt, ita ut simplices Canonici ab episcopo, Dignitates iuxta codicem iuris canonici a Summo Pontifice nominantur.

58. *Adsintne statuta iuxta cann. 410 et 416.*

Statuta Capituli vetera eo tempore, quo codex iuris canonici viget, obsoleta sunt. Statuta nova secundum mandatum S. C. Conc. dd. 25. Iulii 1923 condita a praedecessore sub 15. Septembris 1925 approbata sunt, quae nunc probe observantur.

59. *Quot adsint canonici ad honorem; et serventurne de ipsis regulae can. 406.*

Canonici ad honorem sex provisi sunt et ab episcopo iuxta can. 406 nominantur. Praesenti tempore sex sacerdotes dioecesani hoc honore insigniti sunt.

60. Sede episcopali vacante, quaenam vigeat ratio providendi dioecesis regimini; servatane fuit, ultima vacationis vice, disciplina quam cann. 429-443 praescribunt.

Sede vacante 1927 Capitulum Vicarium Capitularem elegit, sicut in prioribus vacationibus, quem Archiepiscopus Salisburgensis vi singularis privilegii confirmavit.

61. Dicatur aliquid de modo quo Capitulum sacras functiones peragit, quo se gerit erga suum Ordinarium, et de aliis quae ad eius bonum nomen pertinent.

Officium chorale in Ecclesia Cathedrali quotidianum est tam pro recitatione officii divini quam pro missae conventualis celebratione. Iuxta Capituli statuta quindecim diebus Matutinum cum Laudibus cantatur seu recitatur in choro; ceteris diebus Canonici solummodo ad Tertiam et Vesperas, porro ut adsistant missae conventuali quotidianae, obligantur.

Modus, quo Capitulum suas functiones peragit, omnino laudabilis est. Canonici in tota dioecesi pollent auctoritate eorum dignitati conveniente; tam inter se quam cum Ordinario optima concordia coniuncti sunt.

Canonici utpote Consiliarii Ordinarii iuvamen episcopo praecipue in Consistorio singulis totius anni hebdomatibus celebrato praestant. Etiam aliis occasionibus, si res postulat, praesertim in casibus a sacris canonibus praescriptis, consilium vel consensus Capituli exquiritur.

62. Si adsint in dioecesi Capitula, praesertim insignia, vel Communiae cleri ad modum Capitulorum, Ordinarius de iis referat analoge ad ea quae pro cathedrali Capitulo sunt requisita.

Aliud Capitulum in dioecesi non existit.

Caput IX.

De vicariis foraneis et de parochis.

63. Referatur an Vicarii foranei adimpleant diligenter ea omnia quae can. 447 praescribit de vigilantia in ecclesiasticos viros sui ambitus seu districtus, de cura ut canonicae leges et decreta Ordinarii observentur, de aliisque; an paroecias juxta normas ab Ordinario datas visitent; et an quotannis rationem reddant Ordinario de statu sui vicariatus iuxta can. 449.

Vicarii foranei, qui in dioecesi Seccoviensi decani vocantur, diligenter omnia, quae can. 447 praescribit, adimplent, parochias quotannis visitant et Ordinario iuxta canonem 449 relationem exhibent.

64. An paroeciae omnes de suo proprio pastore sint provisae; et servetne lex a can. 460 lata de uno dumtaxat pastore in unaquaque paroecia habendo, reprobata qualibet consuetudine et revocato quolibet privilegio.

Ex 349 parochiis, quas dioecesis complectitur, 4 vacant, quae ob parvum fidelium numerum et ob penuriam sacerdotum a vicinis parochis administrantur. Unaquaeque parochia solummodo unum parochum habet.

65. An adsint paroeciae amovibiles, quot, et qua de causa. An et quot unitae Capitulis sive cathedrali, sive collegiatis, domui religiosae, aut alii morali personae: et in hoc casu utrum serventur leges de vicario curato constituendo cum libero exercitio animarum curae iuxta statuta in cann. 415, 471 et 609 § 1. Et si religiosus sit parochus, an sarta tectaque sint quae Cann. 630, 631 hac de re praescribunt.

Paroeciae amovibiles in dioecesi non sunt. Una parochia et quidem ad Pretiosissimum Sanguinem in urbe Graz Capitulo Ecclesiae Cathedralis incorporata est et a Canonico Capituli administratur. Septuaginta septem parochiae diversis religiosis ordinibus titulo incorporationis vel speciali Sedis Apostolicae permissione unitae sunt et quidem :

Abbatiae Ordinis Sancti Benedicti Admontensi	25
Abbatiae O. S. B. ad Sanctum Lambertum	22
Abbatiae O. S. B. Seccoviensi	1
Abbatiae Cisterciensium Runensi	12
Praepositurae Canonorum Regul. Lateransium St. Augustini Voravii	8
Ordini Praedicatorum	1
Ordini Fratrum Minorum St. Francisci	4
Ordini Fratrum Minorum Conventualium	1
Ordini equestri Ioannitarum	2
Ordini Servorum Mariae	1

In omnibus his parochiis iuxta canones est religiosus, qui munus parochi exercet.
Quae canones 630 et 631 praescribunt, sarta tectaque sunt.

66. An et quot adsint patronatui obnoxiae; an et quo fructu cura fuerit Ordinario ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus aut saltem loco iuris praesentandi acceptarent iuxta can. 1451; sin minus, an in praesentatione servatae sint leges a cann. 1457 seqq. latae, ac maxime a can. 1452 in casu electionis seu praesentationis popularis.

Praeter 12 parochias, a sacerdotibus saecularibus administratas, quae sunt liberae collationis, omnes alicui patronatui sunt obnoxiae. Tractatus, de quo in can. 1451 sermo est, adhuc non sunt habiti. Impediuntur legibus civilibus conferendi stipem pro conservandis aedibus ecclesiasticis. Leges ecclesiasticae quoad praesentationem perfecte semper observantur. Electiones ac praesentationes populares, de quibus can. 1452 loquitur, in dioecesi non habentur.

67. An provisio paroeciarum quae sunt liberae collationis fiat per concursum, et qua ratione concursus celebretur. Can. 455 seqq.

Provisio paroeciarum fit per concursum. Duplex autem concursus distinguitur, unus ad probandam scientiam, alter ad probandos mores. Prior bis in anno vere et autumno instituitur et continet examen de scientia in diversis sacrae theologiae disciplinis. Hoc examen quivis sacerdos sive saecularis sive regularis post tertium annum in cura animarum transactum subire potest ac debet. Omnibus concurrentibus quaestiones ex theologia dogmatica, morali, pastorali et iure canonico proponuntur, quibus scripto in conclavi sub inspectione respondere debent. Praeterea instituitur etiam examen orale coram omnibus examinadoribus ex tota disciplinarum materia. Denique concio et examen practicum ex catechesi habetur. Qui examinadoribus synodalibus (vel prosynodalibus) satisfecerunt, testimonium quoad scientiam per sexennium validum accipiunt. Sexennio elapso aut examen renovare aut dispensationem ab Ordinario impetrare debent. Alter concursus de morali qualitate Candidatorum instituitur immediate ante collationem cuiusvis beneficii et consistit in examine morum et qualitate eorum, qui certum beneficium appetunt.

68. Quibus redditibus parochi vivant, an ex immobilibus, ex publico foenore vel aerario, an ex incertis stolae, et fidelium vel dioecesis contributione. An commode generatim vivant, et an adsint qui egestate laborant. An domo propria paroeciali, saltem conducta eaque sufficienti, generatim instructi sint; et si non, an studium sit et probabilitas ut ea instrui valeant.

Redditus parochorum, ut supra n. 45 iam dictum est, fluunt ex immobilibus, ex aerario publico, ex stolae et liberis fidelium contributionibus. Generatim parochi commode vivunt, quamvis unus alterve paupertate prematur.

Parochi omnes propria in domo paroeciali sufficienter instructa vivunt.

69. An parochi generatim satisfaciant iis quae praescribunt: can. 463 § 4 circa gratuitum ministerium praestandum iis qui solvendo pares non sunt; can. 465 circa residentiam; can. 466 circa applicationem missae pro populo; can. 467 circa sacramentorum administrationem et animarum salutis zelum; can. 468 circa infirmorum curam; can. 469 circa vigilantiam ne errores contra fidem et vitia subrepan et circa opera caritatis, fidei et pietatis in paroecia instituenda et

fovenda; can. 470 circa paroeciales libros recte conficiendos; circa exemplaria tradenda quotannis Curiae episcopali; can. 785 circa sacra olea a parochis loco decenti ac tuto custodienda.
Parochi praescriptionibus canonum enumeratorum satisfaciunt. Si in visitatione canonica defectus deteguntur, culpabiles revere monentur.

70. Circa baptismum: an quaelibet ecclesia parochialis sacro fonte sit instructa iuxta can. 774, et quoties infantes sine periculo aut gravi incommodo ad paroecialem transferri nequeant, an parochus ad proximiorum ecclesiam vel publicum oratorium pro sacramento ministrando ultro libenterque accedat iuxta can. 775.

Quaelibet Ecclesia parochialis sacro fonte instructa est. Baptismus semper in ecclesia confertur, nisi gravis necessitas v. gr. infantis infirmitas vel magna parentum dignitas aliud postulat.

71. Circa SSmam Eucharistiam: an parochis cura sit studiumque indefessum ut, iuxta can. 863, fideles saepius et etiam quotidie pane Eucharistico reficiantur; ut iuxta can. 865 infirmi, dum plene sunt sui compotes, S. Viaticum suscipiant; ut iuxta cann. 1273, 1274 et 1275 cultus SSmi Sacramenti augeatur, excitando fideles ad quotidianam missae adsistentiam, ad visitationem serotinam peragendam, exponendo statis temporibus SSmam Eucharistiam, aliaque utilia peragendo; ut iuxta can. 854, servata quidem parentibus et confessariis debita libertate ad iudicandum de sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem, iidem parentes ne negligant officium suum, et alii abusus ne subreperant.

Clerus dioecesanus omnibus viribus laborat, ut fideles iuxta can. 863 Sacratissimam Eucharistiam frequenter recipiant et infirmi tempore opportuno sacro viatico reficiantur. Populus fidelis sacrificio missae, praesertim diebus dominicis et festivis, libenter assistit uti etiam expositionibus Sacratissimae Eucharistiae.

In admittendis pueris ad primam communionem parochi exequentur mandatum episcopatus Austriaci ex anno 1930, secundum quod pueri generatim in secundo anno, quo schola elementarem frequentant et in quo septimum aetatis annum attingunt, ad primam communionem admittantur. Episcopi vero exoptant, ut pueri etiam ante septimum annum ad mensam eucharisticam accedant, si conditiones a canone 854 requisitae adsunt.

72. Circa extremam unctionem: an parochis cura sit, ut hoc sacramentum ab infirmis recipiatur dum sui plene compotes sunt.

Parochi, immo omnes, qui curam animarum habent, sollicite curant, ut infirmi, dum adhuc sui plene compotes sunt, extremam unctionem recipiant.

73. Circa matrimonii celebrationem: an parochis omnibus cura sit diligens observandi quae praescripta sunt in Codice lib. III, tit. VII, circa libertatem status, impedimentorum dispensationem, sacros ritus, et adnotationem matrimonii.

Omnia, quae codex iuris canonici circa matrimonium praescribit, a parochis omnibus diligenter observantur.

74. Circa catechesim: an ab omnibus parochis diligenter serventur quae praescribit can. 1330 circa peculiarem catechismum pro prima confessione et communione et pro confirmatione puerorum; et cann. 1331-1336 de catechismo diebus festis impartiendo tum pueris tum adultis.

Circa praeparationem puerorum pro prima confessione et communione, praeterea pro confirmatione, nihil amplius desiderandum est.

Quod attinet catechismum diebus festivis tum adultis tum pueris impertiendum, dicendum est, quod homiliae catecheticae plerumque cum sacro postmeridiano coniunctae, hieme in ecclesia habentur; aestate vero in singulis parochiae pagis in capellis vel in aliqua ampla domu catechismus explicatur. Ruri hae catecheses tum ab adultis tum a pueris libenti animo frequentantur.

75. *Circa evangelii explanationem: an ab omnibus lex servetur can. 1344; circa sacras conciones: an statis quibusdam temporibus sacrae conciones frequentius habeantur ad normam can. 1346, et sacrae missiones locum habeant iuxta can. 1349.*

Parochi et quicumque animarum curam gerunt, omnibus diebus dominicis et festivis evangelium explicant vel sacrum sermonem ad populum habent, ita ut, si in parochia duo sacerdotes inveniuntur, bis in ecclesia praedicatio fiat. Ubi sacerdotes binationis facultate uti debent etiam bis sermonem habent. In synodo dioecesana anno 1911 celebrata omnibus parochis commendatum est, ut missiones populares decimo quoque anno habeantur.

76. *An vicarii cooperatores aliique animarum curatores suis officiis laudabiliter fungantur iuxta can. 473 seqq.*

Vicarii cooperatores aliique animarum curatores laudabiliter generatim suis officiis funguntur; secus admonentur vel etiam puniuntur.

Caput X.

De religiosis.

77. *An Ordinarius sive per se, sive per alium, quinquennalem visitationem domorum religiosarum peregerit iuxta cann. 512, 513: et quae notabiliora adnotanda habeat.*

Ordinarius partim ipse partim per Commissarios visitationem domorum religiosarum iuxta canones 512 et 513 peregit.

Religiosi generatim regulas et disciplinam servant et non solum habitu sed etiam vita religiosas [sic!] se ostendunt. Notabiles defectus nullibi detexit.

78. *Utrum religiosi, sive viri, sive mulieres, vitam communem ducant; an sint qui habitent soli, vel in domibus privatis cum saecularibus, et quo iure; quae sit in utroque casu eorum fama; quaenam pro dioecesi utilitas; an catechismum tradant, si Ordinarius requisierit iuxta can. 1334; quo habitu incedant.*

Religiosi, tum viri tum mulieres, vitam communem ducunt. Religiosi in propriis ecclesiis catecheticas instructiones et sacros sermones ad populum habent. In quantum constat, habitu religioni proprio incedunt.

Religiosi ad populi utilitatem variis laboribus incumbunt:

a) Curam animarum in parochiis exercent:

Canonici Regulares Lateranenses Voravienses.

Benedictini.

Cistercienses.

Fratres Minores (Franciscani et Conventuales).

Dominicani.

Servi Mariae.

Equites Ioannitae.

Sacerdotes a Sancto Iosepho Calasanctio.

Presbyteri Missionis St. Vincentii a Paulo.

b) In cura animarum adiuvant:

Capucini.

Redemptoristae.

Presbyteri Missionis St. Vincentii a Paulo.

Sacerdotes a St. Iosepho Calasanctio.

Filii Sacratissimi Cordis Iesu.

Sacerdos ex Ordine Teutonico.

c) Verbo divino annuntiando, missionibus et exercitiis spiritualibus summo cum studio se dedunt:

Iesuitae.

Redemptoristae.

Presbyteri Missionis St. Vincentii a Paulo.

- d) Iuventutis institutioni se dedicant Marianistae.
- e) Aegrotorum curae incumbit Ordo hospitalarius Sancti Ioannis de Deo.
- f) Carmelitae et ceteri religiosi adiuvant curam animarum suis precibus.

79. *Si quaestuant adsint, sive viri, sive mulieres, an canonicae praescriptiones cann. 621, 622, 624 servaverint: an aliquod inconueniens acciderit, vel aliquid sit de hac re animadvertendum.*

Quaestuant sunt: ex viris: Capucini et Ordo hospitalarius St. Ioannis de Deo.
ex mulieribus: Elisabethinae. Canonicae praescriptiones exacte observantur.

80. *Si congregatio aliqua dioecesani iuris, vel societas sive virorum sive mulierum in communi sine votis viventium habeatur, Ordinarius de ea, aut de eis, nomen dicat, finem, sodalium numerum, utilitatem, et si quae alia observanda habeat.*

Congregationes iuris dioecesani sunt tres:

Sorores Ordinis Praedicatorum Congregationis Sanctissimae Reginae Rosarii.

Sorores Congregationis St. Catharinae Siensis pro cura infirmorum a Tertio Ordine St. Dominici.

Societas Voraviensis in honorem Beatae Mariae Virginis sine labe originali conceptae.

Societates sine votis in dioecesi non habentur.

81. *Referat Ordinarius an aliquod offendiculum cum religiosis habeat in suae iurisdictionis exercitio.*

Ordinarius in suae iurisdictionis exercitio nunquam offendiculum cum religiosis habuit.

82. *Si adsint religiosi viri ordinibus sacris iam initiati, qui exclaustri, saecularizati aut dimissi a religione fuerint, referat Ordinarius quid de ipsis dicendum iuxta cann. 639, 640, 669 seqq.*

Religiosi a religione dimissi in dioecesi non sunt; exclaustratus unus, saecularizati tres.

83. *De religiosis mulieribus in specie Ordinarius referat:*

a) *an observentur canonicae leges circa admissionem ad novitium, professionem, clausuram, confessarios ac bonorum temporalium administrationem iuxta cann. 512, 513, 520-527, 533-535, 547, 549, 550, 552, 600-605;*

b) *si quae monasteria monialium superioribus regularibus sint subiecta, an in casibus a iure statutis Ordinario subdantur iuxta cann. 500 § 2 et 615;*

c) *quae vitae activae sunt quibus diversis operibus se addicant, et quo fructu;*

d) *si sint quae infirmis in privatis domibus adsistant, aut rem domesticam in nosocomiis, Seminariis vel similibus virorum domibus gerant, an cautum sit a periculis quae in his adiunctis obversantur, et an aliquid habeatur deplorandum.*

De religiosis mulieribus refertur:

a) Canones citati quoad admissionem ad novitium, professionem, clausuram, confessarios ac bonorum temporalium administrationem stricte observantur.

b) Moniales in dioecesi immediate Ordinario subiectae sunt, exceptis puellis Caritatis St. Vincentii a Paulo, quae directioni Visitoris Congregationis Presbyterorum Missionis St. Vincentii a Paulo subsunt et sororibus Tertii Ordinis St. Francisci a Sancta Cruce, quae directioni supremae Superiorissae monasterii primarii in Ingenbohl, Helvetiae, subordinatae sunt.

Canones 500 § 2 et 615 observantur.

c) Moniales vitae activae deditae ecclesiae et fidelibus magnam utilitatem afferunt partim instructioni incumbentes ut: Ursulinae, Filiae Beatae Mariae Virginis a Caritate Boni Pastoris, Sorores a Sacratissimo Corde Iesu, Sorores scholarum pauperes de Notre Dame, Sorores Ordinis Praedicatorum, Sorores scholarum Filiae divinae Caritatis – partim operibus misericordiae, inprimis servitio personarum infirmarum deditae ut: Sorores congregationis Tertii Ordinis Sancti Francisci a Sancta Cruce, Puellae Caritatis St. Vincentii a Paulo, Famulae Sacratissimi Cordis Iesu,

Auxiliatrices animarum in purgatorio, Sorores St. Catharinae Siensis a Tertio Ordine St. Dominici, Sorores caritatis Ordinis Teutonici.

Rem domesticam gerunt in nosocomiis, seminariis et similiter virorum domibus: Sorores Congregationis Tertii Ordinis St. Francisci a Sancta Cruce, Sorores scholarum, Puellae Caritatis St. Vincentii a Paulo, Servae Beatae Mariae Virginis.

Omnes cautelae pro his casibus necessariae provisae sunt et religiose observantur.

Hucusque nihil accidit, quod deplorandum foret.

Caput XI.

De populo fideli.

84. *Dicatur quinam sint generatim populi mores: quatenus vita christiana privata in familiis: quatenus publica in oppidis et civitatibus: an in externis pompis et solemnitatibus magis consistat, quam in vero pietatis spiritu. Et si sint differentiae notabiles unius loci ab alio, indicentur. Quid fiat ut christianae vitae professio, si paululum defecit aut a recta via declinavit, sensim reducatur.*

Populus indigenus est animo urbano et miti, influxui alieno facile succumbens; religionem et patriam generatim amat. Praesertim ruri, ubi religio floret, sed etiam in urbibus, vita in familiis est vere christiana, quae se manifestat in communibus precibus quotidianis, in frequentatione sacramentorum poenitentiae et eucharistiae, in liberalitate erga ecclesias, pauperes et opera pia, in quantum angustiae sociales permittunt.

Deplorandum est partem populi ad incontinentiam et intemperantiam inclinari.

Dolendum est, quod sollicitantibus inimicis religionis non pauci a sancta fide catholica defecerunt, praesertim in urbibus et in locis, ubi fabricae industriales habentur. Huic malo episcopus per sacras missiones, per admonitiones pastorales, per divulgationem bonorum librorum et sacerdotes in cura animarum laborantes per sermones sacros, per sedulam sacramentorum administrationem et per opera caritatis occurrere studet. Sic iubente episcopo in urbe principali Graz anno 1929 in omnibus ecclesiis parochialibus eodem tempore missiones populares cum magno fructu habitae sunt. Tempore quadragesimali anni 1933 methodus hic reiteratus est.

85. *Qua reverentia clericos, et maxime Episcopum et S. Pontificem, populus prosequatur. Can. 119.*

Populus, qui religionem colit, observat reverentiam erga sacerdotes, maxime erga episcopum et Summum Pontificem; inimici vero religionis despectum adversus clerum in foliis publicis et in comitiis saepe aperte demonstrant.

86. *Quae sit observantia: can. 1248 circa praeceptum audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus diebus festis; cann. 1252, 1254 circa abstinentiam et ieiunium; can. 770 circa sollicitam baptismi collationem infantibus; can. 859 circa communionem paschalem: quot sint ex viris et ex mulieribus qui, cum sint professione catholici, nihilominus eam negligunt, facta proportione pro singulis centenariis fidelium; can. 863 circa frequentem communionem; cann. 865 et 944 circa extrema sacramenta: an sint inter eos qui catholici censentur, qui haec sacramenta differunt, negligunt aut etiam recusant: et dicatur eorum numerus, habita proportione pro centenariis; cann. 1203, 1239 seqq. circa cremationis reprobationem et funera: dicatur, servata proportione ut supra, quot ex iis qui catholici dicuntur funeribus mere civilibus seu irreligiosis sepeliantur: an id contigat ex nimietate taxarum stolae, an ex alia causa.*

Fideles ruri viventes diebus dominicis et festivis maximam ad partem intersunt sacro et ab operibus servilibus se abstinere, non autem operarii in officinis et negotiis industrialibus. Magna pars etiam fidelium in urbibus habitantium praecepto ecclesiastico satisfacit, quamvis multi libentius his diebus excursions in montes et regiones rurales suscipiunt.

Praeceptum abstinentiae et ieiunii generatim ruri observatur, quod non eodem modo affirmari potest de incolis urbium.

Ruricolae item adhuc curant, ut baptismus vel eodem die, quo infans natus est, vel saltem die sequenti conferatur. In urbibus vero baptismus nonnunquam per unam alteramve hebdomatem differtur.

Quod impletionem praecepti paschalis attinet, dicendum est, in parochiis ruralibus omnes viros ac mulieres - paucissimis exceptis - communionem paschalem suscipere. In urbibus vero et locis industrialibus forsitan 20% ex viris et 80% ex mulieribus.

Frequentia sacrae communionis crevit, praesertim in illis parochiis in quibus societates religiosas coluntur. In plurimis parochiis fideles non pauci quotidie, magna pars in omni hebdomate vel mense ad sacram synaxim accedunt.

Extrema sacramenta a fidelibus etiam tepidis non recusantur, quamvis in urbibus accidunt casus, in quibus morientes aut incuria familiarium aut falso erga aegrotum respectu sine sacramentorum susceptione e vita discedant.

Circa crematorium dicendum est, crescere casus, in quibus cadavera catholicorum cremantur, praesertim quia anno 1932 in urbe Graz „crematorium“ aedificatum est.

Funera mere civilia in usu sunt solum pro iis, quibus sepultura ecclesiastica deneganda est vel qui nulli confessioni addicti sunt.

Propagationi cremationis valde obest societas ecclesiastica pro sepultura christiana, quae germanice vocatur „Caritas - Sterbevorsorge“.

87. Circa matrimonium: an matrimonia mere civilia, concubinatus et divortia habeantur, et qua proportione; an vitia contra sanctitatem matrimonii irrepserint; quid fiat ut haec mala removeantur.

Numerus matrimoniorum civilium crevit sicut etiam numerus concubinatum. Divortia scilicet separatio coniugum a thoro et mensa anno 1928 - 1932 evenerunt 3059.

Contra sanctitatem matrimonii vitium Neo-Malthusianismi praesertim in urbibus divulgatum est et tum in urbibus tum ruri nefandum crimen abortus crescit.

Clerus omnibus mediis spiritualibus haec vitia impugnare nititur.

88. Ubi catholici cum acatholicis mixti sunt, et mixta matrimonia habentur, dicatur numerus horum matrimoniorum tum absolutus tum relativus ad matrimonia non mixta: quaenam exinde detrimenta religioni proveniant: an servantur ab his contrahentibus clausulae can. 1061.

Quamvis numerus acatholicorum in dioecesi, ut supra Caput I. nr. 3 notatum est, non sit magnus, quotannis matrimonia mixta habentur, quorum numerus annis 1928/32 fuit 282.

Plerumque clausulae a contrahentibus observantur, in quantum notum est.

89. De christiana educatione prolis: quomodo generatim parentes et qui loco parentum sunt, in sinu familiae satisfaciant gravissimae huic obligationi, de qua cann. 1113 et 1372: et quae cura sit ne ab hoc officio fideles deficiant.

Parentes generatim curant, ut liberi non solum in sinu familiae, sed etiam in scholis moribus christianis imbuantur. Socialistae a fide catholica defecti impediri solent, quominus eorum liberi baptizentur et in religione catholica instituantur.

Monita et praecepta divina fidelibus saepe inculcantur.

90. De scholis: an in publicis scholis, praesertim elementaribus, servetur praescriptum can. 1373 de institutione religiosa puerorum. Et si non, qualibet de causa; an cura sit fidelibus et clero instituendi pro catholicis pueris scholas confessionales, eosque avertendi a scholis acatholicis, neutris, mixtis, iuxta can. 1374.

Legislatio civilis quoad scholas in ultima relatione longe lateque exposita est. Ultimo quinquennio nulla mutatio facta est.

Scholae publicae hoc sensu sunt neutrae, quod omnibus pueris catholicis et acatholicis patent; sed iuxta legem civilem institutio in religione bis in hebdomate a ministris religionis facienda est. Hae

valent tum de scholis elementaribus tum mediis. Nuperrime a Gubernio civili observatio exercitiorum religiosorum directoribus scholarum inculcata est.

91. De conditione et statu scholarum confessionaliū, praesertim elementarium, enucleate referatur: quomodo sustententur, a quot alumnis frequententur, qualique profectu. Et si scholae confessionales institui non potuerint, indicetur causa: et dicatur, an per varia opera- post-scholaria, hoc est oratoria festiva, Congregationes Marianas, scholas catechisticas, aliisve modis, cautum pro viribus sit praeservationi puerorum et puellarum.

Plurimae existunt scholae privatae catholicae elementares et quidem pro puellis – numerus puellarum has scholas frequentantium attingit 5400 –, 7 pro pueris cum 700 frequentantibus; 3 scholae mediae (gymnasia) pro puellis; 4 scholae mediae pro pueris; 2 scholae ad praeparandas magistras, 1 convictus ad praeparandos magistros.

Adsunt praeterea plures sic dicti pensionatus pro puellis, scholae industriales, asyla pro parvulis. Omnes istae scholae et instituta reguntur a Congregationibus religiosis.

Ceterum ut damnum a discipulis scholas medias publicas frequentantibus arceatur, fundatae sunt Congregationes Marianaе, in Universitate etiam uniones academicae, quibus numerus valde magnus adhaeret.

Profundiori institutioni puerorum et puellarum scholas altiores non frequentantium inserviunt ruri sic dictae turmae catecheticae (germanice: Christen-Lehrscharen). Diebus dominicis adulti sub moderatore laico discunt et repetunt catechismum dioecesanum, in ecclesia parochiali a paroco et occasione visitationis canonicae ab episcopo examinantur.

92. De religiosis et piis laicorum associationibus; an adsint in dioecesi tertii Ordines saeculares, et confraternitates, illae praesertim Ssmi Sacramenti et Christianae doctrinae, aliaeque piae uniones potissimum pro iuvenibus: quo numero et quo religionis profectu.

Adsunt tertii Ordinis saeculares ut: St. Francisci, St. Dominici, Servorum Beatae Mariae Virginis, de monte Carmeli, quibus adnumerari possunt Oblati et Oblatae St. Benedicti, qui omnes in saeculo viventes ceteris fidelibus bonum exemplum dant.

Erectae sunt praeterea in dioecesi sequentes confraternitates et piae uniones:

a) Confraternitas Sacratissimi Sacramenti, iam anno 1858 fundata.

Anno 1932 introducta est adoratio perpetua hoc modo, ut in unoquoque per annum die Sanctissimum in aliqua dioecesis ecclesia pro adoratione publice expositum sit.

b) Confraternitas Sacratissimi Cordis Iesu.

c) Confoederatio Apostolatus orationis.

d) Confraternitas Sacratissimi Rosarii Beatae Mariae Virginis.

e) Confraternitas scapularis Beatae Mariae Virginis de monte Carmelo.

f) Confraternitas septem dolorum Beatae Mariae Virginis.

g) Congregationes Marianaе (in magno numero).

h) Pia unio a Sancta Familia.

i) Piae Sodalitates adolescentium et puellarum, patrum matrumque familias. Hae Sodalitates fere in omnibus parochiis existunt.

k) Unio de dormitione Beati Ioseph.

Notatu dignum est 200 uniones iuvenum cum 12.000 sodalibus in suprema associatione „Jungsteirerbund“ coniunctas esse.

Impellente episcopo plurimae missiones, exercitia spiritualia et instructiones in diversis iuvenum unionibus magno cum fructu habiti sunt.

Uniones virginum coniunctae sunt in associatione „Diözesan-Mädchenverband“. Sodales attingunt numerum 18.000.

Existunt etiam societates ad fidem catholicam propagandam et defendendam ut: Unio Cleri pro missionibus, Unio Francisci Xaverii pro conversione paganorum, Opus Sancti Petri, Unio a Sancta Infantia Iesu, Societas St. Petri Claver pro missionibus Africanis, Societas St. Bonifatii, Societas ad divulgandos bonos libros et ephemeridas catholicas, Societas ad fundendas scholas catholicas.

93. *An hae associationes servant omnes praescripta: can. 690 de subiectione erga Ordinarium; can. 691 de administrationis modo.*

Canones 690 et 691 observantur.

94. *An adsint inter catholicos associationes illae, quae sociales vocantur, agricolarum, operariorum, mulierum in hunc vel alium caritativum finem, vel mutuum subsidium; an asyla pro infantibus, patronatus pro iuvenibus, pro emigrantibus etc., circuli pro iuventute, laboratoria pro artificibus, vel pro puellis etc.: quo spiritu agantur: an directioni et moderationi Ordinarii et Apostolicae Sedis dociliter subsint: quatenus beneficia sive moralia sive temporalia praestent.*

In dioecesi florent associationes, quae sociales vocantur, agricolarum, operariorum, mulierum. Ad propagandos sapientissimos Enzyclicae Pii P. XI. „Quadragesimo anno“ conceptus ipso episcopo praeside a viris scientia et peritia eximiis cursus pro sacerdotibus et laicis habiti sunt. Adsunt in urbe Graz et extra urbem instituta pro parvulis, in quibus ipsis cura materna applicatur. Adsunt orphanotrophia pro puellis et pro pueris, item asyla pro infantibus scholam elementarem frequentantibus, duae domus pro puellis lapsis vel in magno periculo versantibus. Omnia instituta diriguntur a monialibus diversarum Congregationum.

Adest praeterea perampla domus pro coecis, item pro surdo-mutis, quae a monialibus administrantur.

Unio opificum Kolpingiana domum in urbe Graz, uniones operariorum plures domus possident.

Unio St. Vincentii a Paulo in omnibus urbis Graz parochiis introducta non solum pauperes in eorum domibus visitat, sed etiam asyla pro pueris scholas frequentantibus sustentat.

Omnes associationes supremae Ordinarii moderationi libenter se subiiciunt.

95. *An cura sit ut qui hisce associationibus sive religiosis et piis, sive socialibus adscripti sunt, in fidei doctrina instituuntur et christianam vitam ducant.*

Cum in omnibus associationibus tum piis et religiosis tum socialibus aliquis sacerdos sit vel „praeses“ vel „consulens“, sodales in doctrina christiana instruuntur, sacramenta poenitentiae et altaris saepius in anno suscipere et generaliter vitam christianam ducere debent.

96. *An et qua diffusione ephemerides vel diaria obscoena, irreligiosa, modernistica vel liberalia dioecesim pervadant: an libri quoque huius generis diffusi sint; quid fiat ad tantum malum coercendum et quo fructu.*

In dioecesi ipsa quotidie circiter 45.000 ephemerides liberales et partim irreligiosae eduntur, plura millia ex aliis Austriae et Germaniae partibus introducuntur. Ad tantum malum coercendum iam Concilium provinciale Salisburgense anno 1906 et Synodus dioecesana anno 1911 clerum graviter monuerunt ut tum ipsi a lectione diariorum liberalium abstineant, tum omni cura fideles a lectione prohibeant.

Typographia catholica dioecesana nomine „Styria“ per editionem ephemeridum catholicarum et librorum bonorum divulgationi pravorum foliorum obsistit, insuper plures societates catholicae ut: „Katholischer Preßverein“, „St. Josef-Bücherbruderschaft“, „Glaubens-Apostolat“, denique „Actio catholica“ in divulgandis foliis et libris catholicis cum magno fructu laborant.

Adsunt praeterea tum in urbe Graz tum in aliis locis bibliothecae, quae fidelibus libros catholicos locant.

97. *An massonicae sectae addicti, vel etiam massonicae tabernae in dioecesi habeantur: quanta et quali activitate operam adversus religionem moliantur; quid fiat ad occurrendum huic malo.*

Massonicae sectae non multi dioecesani adscripti sunt. Existit in urbe Graz circulus istius sectae.

98. *An socialismi societates habeantur: quot numero, quanti momenti et quali religionis noxa: et quid fiat ad hanc avertendam.*

Socialismi sectatores quamplurimi habentur, praesertim inter operarios itemque plurimae associationes socialisticae; immo et Communismi error in urbibus propter paupertatem populi diffundi coepit.

Socialismus et Communismus religioni catholicae magnum damnum inferunt cum iam pueros a fide catholica avertant et adultos socios saepius cogant, ut a fide deficiant.

Contra istas societates fundatae sunt pro operariis uniones catholicae, de quibus supra n. 94 iam sermo erat, praeterea ante aliquot annos societas nomine „Laeta iuventus“ (germanice: „Frohe Kindheit“), qui pueros et puellas familiarum pauperum complecti studet, item unio „Providentia pro morte“ (germanice: „Caritas-Sterbevorsorge“), qui [sic!] multos sodales unionibus socialisticis eripuit.

99. Utrum in exercitio iurium politicorum et civilium fideles catholici religionis bono et ecclesiae libertati pro viribus consulant.

Fideles catholici in exercitio iurium politicorum et civilium iuxta vires religionis bono et ecclesiae libertati consulunt; certe mala fide nihil agunt vel omittunt, quod religioni et ecclesiae nocere possit.

Caput XII.

Iudicium syntheticum Ordinarii circa dioecesis statum.

100. Denique Ordinarius, omnibus in universum complexis, dicat, praesertim in prima sua relatione, quid actu sentiat de materiali et morali conditione dioecesis, quae spes melioris status affulgeat, quatenus maiora discrimina immineant.

In sequentibus vero relationibus addat, quomodo et quo fructu ad effectum perduxerit monita et mandata, si quae S. Congregatio in sua responsione ad praecedentem relationem significaverit: et utrum progressus, regressus, an potius idem ferme persistens status in rebus fidei et morum haberi videatur in dioecesi: et quatenus de eo censeantur causae.

Cum calamitates in iudicio Ordinarii relationis anni 1928 expositae magna ex parte perdurent immo creverint, mirandum non est, statum dioecesis una ex parte essentialiter emendatum non esse.

Inimici Dei impetus contra ecclesiam augent; hinc apostasiae a fide iterum iterumque eveniunt, quamvis plurimi gratia Dei adiuvante ad ecclesiam catholicam redeant, matrimonia dissolvuntur, nonnulli infantes sine baptismo succrescunt.

Mores praesertim in urbibus et locis industrialibus ingravescente paupertate peiores fiunt.

Neo-Malthusianismus in familiis ceteroquin catholicis grassatur, procuratio abortus, quamvis usque huc a lege civili punitur, divulgatur.

Altera ex parte autem huic torrenti malorum clerus omnibus viribus et mediis ordinariis extraordinariisque sese opponere studet.

Frequenter in parochiis missiones populares, exercitia spiritualia pro omni statu populi habentur et semper quidem cum magno fructu.

Uniones religiosas et sociales plerumque in parochiis florent et in omnibus curante episcopo „Actio catholica“ introducta est et successum videri facit.

Liberalitas populi fidelis erga ecclesiam et pauperes in quantum res angustae permittunt, non decrevit.

Hinc sperandum est Deo adiuvante pro fide et Ecclesia catholica in dioecesi Seccoviensi tempora meliora esse ventura.

Graecii in Styria, die X. mensis Octobris MCMXXXIII.

+ Ferdinandus
Episcopus Seccoviensis
(Graz)